SECVNDA PROPOSITIO.



Quorumcunq; duorum triangulorum duo latera unius, duobus lateribus alterius fuerint æqualia, & anguli his æquis lateribus contenti æquales, erit basis basi, & reliqui anguli æquis lateribus contenti, alter alteri, & totus triangulus toti triangulo æqualis.

Sint duo trianguli a b c, d e f, sitq; latus a b æquale lateri d e. Et latus a c æquale lateri d f, & angulus a æqualis angulo d. Dico basim b c æqualem esse basi e f, & angulum b angulo e, & angulum c angulo f, & totam trianguli a b c superficiem, superficiei trianguli d e f æqualem. Nam finge lineam d e superponi & accommodari a b lineæ, neutra igitur alteram excedet per conuersionem octauæ conceptionis, positæ enim sunt æquales, & punctus d cadet super a punctum, & similiter e punctus super b. Quia uero angulus a positus est æqualis angulo d, necessario cadet linea d f super lineam a c, & propter præstructam æqualitatem earum, incidet f punctus puncto c, & erit cum eo unus punctus, quapropter basis e f cadet super basin b c, ita ut fiat cum ea, linea una, alioqui duæ rectæ lineæ clauderent superficiem, quod est contra petitionem tertiam, & quia neutra alteram excedit, terminantur enim iisdem punctis, sunt igitur æquales. Rursus angulus e superpositus est angulo b et eum